



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam**

**Crespin, François**

**Brvxellæ, 1652**

Quæstiuncula prima, quid sit sumi 1<sup>o</sup> intentionaliter.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

etiam, & intentionaliter tantum &c; ut representatio Petri quatenus est species, animal, ens &c.

xxvi. 2. autem objectiva est objectum illius.

xxvii. Subdividitur 2. objectiva in secundam objectivam secundum se, & secundam objectivam secundum modum significandi tantum.

xxviii. 2. objectiva secundum se (quam ordinariè Philosophi intelligunt per 2. objectivam) est concretum ex natura tamquam subiecto, & 1. intentione formali tamquam formâ, ut genus, species &c.

xxix. 2. objectiva secundum modum significandi tantum, est quæ quidem secundum se non est concretum ex natura tamquam subiecto, & 1. intentione formali tamquam formâ, sed tamen tale concretum significat, ut homo, animal, ens &c; homo enim pro forma dicit humanitatem, quæ non est 1. intentio formalis, ut patet, pro subiecto rem habentem &c; significat tamen concretum ex natura & 1. intentione formali, quia homo significat Petrum, Paulum, & cetera hominis individua per 1. intentionem formalem tam confusè concepta, ut in ratione hominis inter se non distinguantur. Pro maiori horum intelligentia, & communi ferè omnium Philosophorum, dum volunt ly *animal, homo* &c, esse primas intentiones objectivas, non secundas; inadvertentiâ detegendâ.

xxx. Adverte ex communi Grammaticorum, Philosophorum & Theologorum sensu, dari voces communes ab individuis abstrahentes; ac proinde ex instituto aliud significantes, quia ipsa individua; alioqui Grammatici voces communes frustra restringerent per signa demonstrativa *hic, hæc, hoc*; & Philosophi frustra de Universalibus disputarent; Theologi autem id ubique ex philosophia supponunt: favet insuper ratio, quia ly *homo* v. g. extrâ propositionem habet suum significatum ex instituto, non quidem humanitatem conjunctam hæcitate, quia (præterquam quod homini primò vocem *homo* audienti nulla hæcitas occurrat) attendendo ad significatum ex instituto, hæc propositiones essent falsæ; *homo est predicabilis de multis; homo non potius est Petrus, quam Paulus* &c, sed omnibus individuis humanis communis &c, quod nullus dixerit: undè fit quod vox *homo* v. g. duo dicat ex instituto, humanitatem, & rem habentem humanitatem formaliter præcisam ab omni hæcitate; quia verò humanitatem & rem, tamquam sibi intrinseca, realiter & in actu signato significat, & illam ut præcisam ab omni hæcitate non nisi tamquam sibi extrinseca, formaliter & in actu exercito præcisionis formalis ipsius ab omni hæcitate, *homo* secundum se, id est, secundum sibi intrinseca, realiter & in actu signato, rectè dicitur 1. intentio objectiva, ab eo, quod sit ut sic, objectum 1. intentionis formalis; secundum verò modum significandi, id est, secundum sibi extrinseca, formaliter & in actu exercito præcisionis formalis ipsius ab omni hæcitate, 2. intentio objectiva: si autè petas, an vox *homo* simpliciter dici debeat 1. intentio objectiva, an 2. objectiva? mihi melius simpliciter dicitur 2. intentio objectiva, quia *homo* nō dicitur nisi in actu exercito præcisionis formalis ab omni hæcitate (quidquid in actu signato ipsa individua significet) alioqui dicendo *homo*, diceretur *hic homo*, quod statim impugnabimus; quia tamen in verificatione propositionum attenditur identitas prædicati cum subiecto, vox *homo* in propositione censetur 1. obje-

ctiva, sive hic homo, aut 2. objectiva sive homo conceptus, pro diversitate extremi, cui conjungitur: hic tamen advertere debes vocem *homo* in propositione vera non retinere rigorosam significationem, quam habet ex instituto, sicut universalitatem non retinet, de quo infra; ac proinde hanc propositionem, *Christus est homo*, non esse veram, sumptâ voce *homo* secundum rigorosam significationem, quam habet ex instituto; alioqui hæc propositiones veræ esse deberent, *Christus est homo predicabilis de multis; Christus est homo non hic homo; Christus est homo qui est non potius Christus, quam Iudas*, quæ sunt hæreticæ; vera tamen est, & fidei, sumptâ voce *homo* secundum rigorosum sensum, quo juxta Philosophos, & Theologos universalis verificantur de individuis; at ille non est rigorosum significatum, quod habet ex instituto: quia, præterquam quod termini sint significativi extrâ propositionem, terminus *homo* est universalis ut patet, falsa autem est propositio, *individuum est universale*, licet sit significatum intrinsecum, reale & in actu signato vocis *homo*, restrictum per particulam *hic*, sive personaliter acceptum, sic ut propositio illa fidei, *Christus est homo* æquipolleat huic, *Christus est hic homo*. Hinc autem

xxx. Colliges 1. cognitionem hominis esse cognitionem distinctam à cognitione hujus hominis, idque quia *homo* dicit præcisionem universalem ab hæcitate, & profertur voce significante multa confusè; si enim dixerim, *Petrus veniat*, veniet: si verò *veniat homo*, non veniet, si plures sint; *hic homo* verò unum hominem determinatè significat.

xxxi. Colliges 2. non ideo à nobis tolli omnes voces communes, sive multis communicabiles, quia dicimus illas esse secundas intentiones objectivas; nam licet 2. objectivæ secundum se, id est, concreta ex prima intentione formali, & prima objectiva, ut genus & species &c, non possint communicari multis univocè ut quod, secundæ tamen objectivæ secundum modum significandi, de quibus hic agimus, ut *homo, animal* &c, sic sunt communes secundum extrinseca formaliter & in actu exercito, ut de facto sint secundum intrinseca realiter & in actu signato communicata multis univocè ut quod, ut patet in homine, qui ut sic, nihil aliud est, quam omnia individua humana, sive res omnes habentes humanitatem; qui verò putant voces *homo, animal* &c, esse objectum 1. intentionis, velint nolint, videntur omnes voces communes tollere, quia objectum 1. intentionis est illud, quod existit antè intellectum, quidquid verò est tale, est singulare, ut omnes fateri tenentur.

## QVÆSTIVNCVLA I.

Quid sit sumi 1. intentionaliter.

### RESOLVTIO.

xxxiii. Dico sumi 1. intentionaliter est sumi pro prædicatis, quæ rei conveniunt à parte rei, sive antè intellectum; ut *Petrus est hoc album, individuum constans hoc corpore* &c: prædicata verò quæ rei conveniunt antè intellectum, dicuntur 1. intentionalia.

xxxiv. Adde plerumque in Porphyrio, sumi 1. intentionaliter idem esse, ac 2. intentionem objectivam

vam secundum se sumi pro suo materiali significato, id est, pro eo quod afficit & denominat; ut genus pro animali, species pro homine, &c.

### QVÆSTIVNCVLA II.

*Quid sit sumi 2. intentionaliter.*

#### R E S O L U T I O.

xxxv. **D**ico sumi 2. intentionaliter est sumi pro prædicatis, quæ rei conveniunt post intellectum, non antè; ut *homo est species*, *Petrus est animal*: prædicata verò, quæ rei conveniunt post intellectum, dicuntur 2. intentionalia; quæ sunt duplicis generis, scilicet 2. intentionalia secundum se, ut species, genus, &c. & 2. intentionalia secundum modum significandi tantum, ut *homo*, *animal*, *ens*, &c. & cæteri gradus metaphysici concepti sine hæccitatibus. Ex his

xxxvi. Colliges 1. 2. intentiones objectivas secundum se esse concreta quædam accidentalia conflata ex prima objectiva tamquam subiecto, & 1. intentione formali tamquam forma denominante; nam esse genus v. g. nihil aliud est, quam esse naturam realiter existentem, quæ est 1. intentio objectiva, conceptam conceptu generico, seu genericante, qui est 1. formalis, & forma denominans genus in concreto: ex his ulterius

xxxvii. Colliges 2. 2. intentiones objectivas non esse entia rationis strictè, prout scilicet ens rationis opponitur omni enti reali, & est quid fictum; quia si illæ sunt 2. objectivæ secundum se, nihil aliud sunt, quam concreta conflata ex 1. objectiva & 1. formali, quorum nihil est fictum, sed totum reale, prout ens reale opponitur ficto: si verò illæ sint 2. objectivæ ex modo significandi tantum, realiter identificantur, & formalissime sunt objectivæ unum cum 1. objectiva, licet significant 2. objectivam secundum se, & ab illa, denominatione quadam extrinsecâ, dicantur 2. intentiones objectivæ, genus, species, &c. denominatio autem illa extrinsecâ dici non potest ficta, quia præcisè est id, quo intellectus dicitur cognoscens (quod est reale) 1. objectivas per modum objecti respiciens: ens autem rationis strictè debet saltem aliquid fictum includere: quod verò Thomistæ post Durandum doceant omnes denominationes extrinsecas esse entia rationis strictè, omnino falsum est, quia sive sint à forma physica, sive ab intentionali, non minus sunt reales, quam ipsæ formæ à quibus sunt, nec ab eis distinguuntur, posito aliunde subiecto denominationis à parte rei.

xxxviii. Nec obstat quod non possint esse, nemine cogitante; nam ens fictum seu rationis strictè non est, quod non potest esse nemine cogitante ibi sistendo; aliàs omnis cogitatio, cognitio, intentio, formalis, &c. esset ficta, & ens rationis strictè; quia, ut patet, cognitiones illæ non possunt esse nemine cogitante, cum sint cogitationes; sed ens fictum seu rationis strictè est, quod non potest esse nemine de ipso cogitante. 2. verò intentiones sunt nemine de ipsis (puta in actu signato, & per actum reflexum) cogitante, eo modo quo ipsa cognitio est nemine de illa reflexè & in actu signato, per actum ab ea distinctum, cogitante.

xxxix. Dixi 2. intentiones objectivas non esse entia rationis strictè, prout scilicet ens rationis opponitur omni enti reali: quia certum est illas esse entia rationis latè, id est, actus rationis sive intellectus, entia verò intellectus, puta cognitiones & intentiones formales omnes, non minus sunt reales & realiter existentes, quam Petrus.

xl. Addo tamen 2. intentiones objectivas secundum se, sumptas pro relationibus in objecto intrinsicè existentibus (quomodo eas sumunt plerique Thomistæ) esse fictas, & entia rationis strictè; quia sic sumptæ non possunt esse nemine de ipsis in actu signato sive reflexo, per actum ab eis realiter distinctum, cogitante, & illas per fictionem naturis intrinsicè affingente: deinde tales relationes sunt planè superflue, cum sine illis sufficienter habeatur, quod animal v. g. sit genus à conceptu generico, homo species à conceptu specifico.

xli. Nec obstat, quod universalia dicant relationes identificabilitatis, communicabilitatis, superioritatis, &c. ad sua inferiora; quia illæ non sunt intrinsecæ, sed merè extrinsecæ, non secus ac conceptus universalificans, à quod naturæ reales habent quod sint universales, multis inferioribus identificabiles, superiores, &c. de quibus amplior recurret sermo infra; pro clariori tamen dictorum de ente rationis intelligentia, sit

#### D V B I V M II.

*Quid sit ens rationis strictè, quod duplex, & an detur.*

xlii. **A**ntè Resolutionem

Suppono 1. dubium non procedere de ente rationis latè sumpto, prout confunditur cum ente, quod est ab intellectu subiectivè, ut omnes actus intellectus, aut directivè, ut arte facta; sed strictè, prout est ens, quod propriè fingitur.

xliii. Suppono 2. per ens rationis strictè sumptum non rectè intelligi ens intellectus cum exclusionem aliarum potentiarum: quia alioqui, frustra quærerent Philosophi an per voluntatem,phantasiam, & similes potentias ab intellectu distinctas, possit fieri ens rationis strictè; sed intelligi ens intellectus, sumendo intellectum pro potentia, cui familiaris sit ens rationis strictè facere. His suppositis sit

#### R E S O L U T I O I.

xliv. **D**ico 1. ens rationis strictè malè definitur, quod habet esse objectivè tantum in intellectu.

xlv. Probatur, quia alioqui negatio cognita ut negatio, identitas inter hircum & cervum cognita ut impossibilis, &c. esset ens rationis strictè, & ejus cognitio fingens, quæ tamen rem omnino apprehendit, prout revera est ex parte objecti, & Deo omnino convenit; sed hoc est absurdum, ergo, &c. Probatur sequela majoris, quia talis negatio, talis identitas, &c. habet esse objectivè tantum in intellectu; remotè quidem & aptitudinaliter antequam cognoscatur; proximè verò & formaliter quando actu cognoscitur, ergo, &c.

xlvi. Dices ex R. P. Comptono disp. 13. Logica, negatio suo modo habet esse ab æterno, ergo cognita ut negatio, suo modo habet esse aliud, quam esse tantum objectivè in intellectu.

Respondeo